



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...

Libris Quatuor Consequentibus Pertexens, Quae post beatum S. Xaverij
Obitum Soc. Patres ad Dei gloriam in iisdem Prouinciis gessere

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1667

4. Separantur à mauris Christiani.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11445

bant. Omnibus enim consecuta mors, vnus veneno, ferro alter necatur, incerore tertius, vt notho Aërio daretur in regnum aditus, qui eadem ipsis Electione suam, ingratiſſimi animi remuneratus est mercede, quam patris sui amori fidiſſimo, & beneficiis singularibus rependerant; sed hæc ad perſpicuitatem eorum quæ sequuntur de Cacile Aërio, Ternatis seu Moluci Rege, Molucarum enim quinque primaria Ternate, Regno nomen facit, nunc ſcriptionis filium resumamus.

Vix sine tumultu, & cædibus videbantur posse Christiani à Mauris ſeiungi: intolerandum Mauris accidebat, ab vxoribus, & filiolis distrahi, quorum nec ritu volebant viuere, nec consuetudine priuari. Coegit inuitos Aërios, cuius imperio ſuberant. Obibat pagos ſtricto acinace, intentabat refractariis necem, euersionem domorum minabatur, nisi producerent Christianos, præire se illis exemplo aiens, & quos ſuis in ditionibus comperisset initiatos ſacro Baptiſmate, illos se dedere Christianis, ne duabus quidem ſuis ſororibus induliſſe, ſed Baptiſmi lauacro Chriſti fidem profeſſas, Luſitanis libenter tradidiſſe. Quod ipſe tam verè affirmabat, vt cum inter ſuas feminam haberet, quam ignorabat eſſe Chriſtianã, id vbi reſciuit viſus ſit acerbè dolere, ergo pretioſis inde exultam veſtibus, honorificè dimiſit liberam. Ita qua minis qua precibus, diu noctuque conſtanter & fortiter ſatagens Patrum conſilia oprato exitu perfecit, & ſegregati ſunt à Mauris Chriſtiani. Sux quin etiam diſcedens probæ mentis argumentum reliquit, quod P. Alphonſo Caſtrio ſuaſit, pueros aliquot Maurorum filios Ternatem ſecum deduceret, qui Chriſtianiſ illic imbuti diſciplinis, fierent Patrum interpretes, ad annuntiandam reliqua inſula Chriſti legem, tulitque hæcenus hoc boni Regis huius pietas ſimulata, quæ tam in ſpeciem ſincera & effuſa, vt non poſſet maiorem teſtari ſi foret inſigniter Chriſtianus, creditus certò eſt, ad fouendam, prouehendamque Chriſtianitatem magnopere affici (quod vt maximè crederetur, vehementer curabat & ſuis rationibus deputabat) ſcriptumque in Europam non longe illum ab regno Dei eſſe. Sed hanc interim famam in ambiguo ponebant concubiniæ centum, ex quibus ſeſe non norat extrirare. Annum hunc 1553. occupauit ferè Chriſtianorum ſeparatio à Mauris, ſub ſinem illius, ſociorum ſuppeticas aduexit ex Indiis Beira; verum Xauerij obitu mœſtiſſimus, cuius ſanctum corpus ab omni putredine intactum, veneratus fuerat Malacæ, ſuiſque oſculis, & lacrimis ſparſerat, illam memorans cum eo poſtremam ibidem paucos ante meſes, & ſuauiſſimam conſuetudinem. Socios quo maior vrgebat neceſſitas illico diuiſit; ipſe cum Franciſco Godigno contendit Tolum. Eæ ſolum inſulæ quæ Amboini continentur appellatione, noſtrorum iam inde, cultura deſtituebantur, ex quo anno 1549. P. Nunium Riberum peremerant; cuius hic breuiter conſignanda eſt virtus egregia.

Adlectus fuerat in Societatem Riberus Luſitanus Kalend Auguſti, anno 1543. dùm Theologicis ſtudiis in academia Conimbricenſi dat

N operam

4.
Separantur à
mauris
Chriſtiani.

5.
Vita P. Ri-
beri, &
morſex pro-
pinato ve-
neno.